



Theophili Raynavdi Societatis Iesv Theologi, Opera Omnia

Tam hactenus inedita, quàm alias excusa, longo Authoris labore aucta & emendata : Accessit Tomvs Integer Complectens Indices Septemdecim in vniversum Opus, omnium quotquot prodierunt locupletissimos, Qvibus Absolvts Divinae Av Humanae Eruditionis Thesaurus Orbi literato aperitur ; Adiectus est ...

Raynaud, Théophile

Lugduni, 1665

VIII. Christus Aduocatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79582](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79582)

poris nostri, spe enim salui facti sumus; & in altera vita spem illam excipiet effectus, eritque ibi sanitas tota sine morbo, ait Prosper. lib. 1. de vita contempl. cap. 4. Ac proinde David ex beatorum persona, vt S. Augustinus commendatur in Psal. 102. excitat animam suam ad benedicendum Deum qui redimens de interitu & coronans in miserationibus, (quod in cælo tantum præstatur;) sanat omnes infirmitates nostras. Ibi salus iustorum à Domino. Rectè à Domino, vt expendit S. Anselmus sermon. de beatitud. illo inquam Domino, cui idcirco sancti Apocal. 7. applaudunt *salus Deo nostro qui sedet super thronum, & agno: non Deo salutem apprecantes, qua excideret nequit; sed profitemes, vnda sua ipsorum salus, qua in cælo donati sunt, fuerit deriuata, vt Rupertus ibi benè admonuit. Illa est Regio sapientum atque valentium vt habet vita S. Aspionis fuisse à S. Vigilantio proditum. Ibi Deus per Christum fit salutare nostrum, ad quod toties David suspirat.*

Iam sanitas animæ, quæ infinitis propè partibus est pretiosior, estque primarius curationis Christi Medici effectus, desperanda hæc est, si agatur de perfecta & numeris omnibus expleta sanitate. Hic enim *omne caput languidum, & omne cor moriens: à planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas sed vulnus, & liumor, & plaga inmensa: id est omnes facultates nostræ, laucia sunt; vt Hiero. Isaia 1. paucis attingit, & plenissimè ac iusta tractatione profequitur Richardus Victorinus. Ex posterioribus verò Guliel. Paris. Tract. de vitiis cap. 2. Vega toto lib. 2. in Concilium Bellarm. lib. 6. de amiss. gratiæ cap. 9. Veltonus lib. 1. de tripl. hom. officio, à cap. 15. Et intellectus quidem, in hac vita, laborat horrenda profunditate ignorantia, vt loquitur D. Augustinus 22. Ciuit. cap. 22. Voluntas verò scateret morbis, de quibus plenè actum in Morali dist. 4. num. 403, qui sunt languores, vt est apud Isalam cap. 53. siue (vt apud Matthæum cap. 8. idem locus refertur, agrotationes quas Christus tulit. Nam Christus, cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus, pro impiis mortuus est. Illi ipsi infirmi, qui impij, vt Isidorus Pelus. lib. 2. Epist. 117. obseruat, & confirmat ex psalmo 15. vbi de peccatis multiplicatis dicitur *multiplicata sunt infirmitates eorum.* Verè multiplicatæ, nam quot sunt in nobis affectus, tot morbi; vt vox Græca aperit fert. Dicitur enim Græcè *morbi*, id est morbi, vt notat D. Augustinus 9. Ciuit. cap. 4. Vnde liquet de morbis quoque appetitus sensitiui, in quo totidem proportionales & eiusdem nominis morbi huiusmodi, quo in superiori voluntate locum habent. Phantasia autem, quæ alia est facultas, tamen corporea, tamen menti alligata, tanta est morbositas, quantam eius inscenenabilis nobilitas & inquietata agitatio prodit, de qua Cassianus collat. 6. cap. 14. & collat. 9. cap. 4. & plenè Richar. Tract. 1. de statu inter. hom. cap. 8. 9. 10. quo Tractatu, de aliis quoque potentiis materialibus, earumque conuulseratione, egregiè disserit. Et vt morbi animæ non essent adeo perspicui ac reuera. cuius sunt, suo & alieno experimento; certum tamen eorum argumentum petere liceret, cum Gulielmo Parisiensi lib. de vitiis cap. 2. ex fastidio bonarum animæ eucarum, quo omnes in hac vita laboramus.*

1015 Quare desperanda est in hac vita plenæ sanitatis adeptio, sed ad eam suspirandum est, per Christi medici operam, in altera vita. Ibi Christus, longè maiori iure quam Antiochus ille apud Lucianum lib. de salutat. denominari poterit. Denominatum sic Antiochum ferunt, à tessera Græcum sanitatis nomen præferente, in pentagoni formam assuta vestibus suorum, ex Alexandri Magni per visum monitu. Christus quinario vulnere suorum, longè optabiliorem sanitatem nobis contulit; hic quidem in spe; reapse autem, & quoad plenam absolutionem, in cælo.

Hic tamen adiuuenda sunt Pharmaca, & præscripta à Christo medico, eiusque adiutoris vitæ ratio, & curatio adhibenda, vt sanitas suo tempore consequatur. Vnde vnicuique nostrum dicitur, *vis sanus fieri?* Quæ enim summa est infelicitas nostra, ne ipsum quidem medicum, (vt supra demonstratum est) aduocare vtiliter possimus: sed ipse gratis nos peruenit, & pro nihilo saluos nos facit, id est nullis nostris meritis aduocatus, adiuuet medicinam, quam tamen à nobis sollicitatis atque inuitatis vult admitti, vt nostrum quoque ex parte sit decus, iuxta egregiam S. Gregorij Theologi doctrinam in Apol. Et aliquando quidem alpestra nobis & acerba videntur quæ præscribuntur, quia nec gravitatem morbi satis attendimus, nec indicatæ operæ tenuitatem, torpentes ignavia. Cum ergo Christus medicus non nisi perleuia & adhibitu ac seruatu facillima præstibat; indignus est sanitatē suo tempore potiri, qui ab illis refugit.

CAPVT VIII.

Christus Aduocatus.

 RISTVM inde esse aduocatum nostrum, vnde est medicus noster, id est quæ titulum *Aduocati*, rectè subnecti titulo. Medici, optimè vidit S. Gregorius 24. Moral. cap. 1. & 2. & 3. tractans illud Iobi, si fueris pro eo, Angelus loquens vnum de similibus, vt annunciet hominibus aqutatem, miseretur eius, & dicit; libera eum, vt non descendat in corruptionem. Quid quod apud Tertullianum lib. 4. in Marcio. c. 14. aduocare languentes, dicitur, pro mederi. Disertè porro S. Ioannes Epistola 1. cap. 2. Christum nominat *aduocatum*, dicens; *Filioli hac scribo vobis, vt non peccetis, sed ut qui peccauerit, Aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Quo loco absum Felicem Vigilantem, inde intulisse Christum esse adoptatum, perinde ac si idem sit adoptatus, quod aduocatus, refert Paulinus Aquileiensis in sacro Syllabo, ante medium. Hunc aduocatum, vt fert ius commune, prouisum nobis à Deo esse expensis nostris, prosequitur pulcherrimè Guliel. Paris. l. cur Deus homo c. 7. sub finem; addit verò l. de Euch. c. 2. hunc esse aduocatum non qualemcunque, sed quem vocamus *generalem*. Locum infra dabo.

Christus

Christum Ioanni & discipulis non prout ea vox sonat consolatorum.

1016 Moueri potest dubitatio potest, quomodo vox *Aduocati*, sit accipienda eo Ioannis loco, quem in hanc rem protulimus. Nam in Græco habetur *ὁ παρὰ τοῦ υἱοῦ*: quæ vox, alibi quoque Christo tribuitur, nempe Ioannis 14. cum dicitur, *Ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis*. Nam si alium paracletum datus erat Pater recedente Christo, manifestum signum est, Christum esse paracletum, ut recte aduerterunt in eum locum S. Augustinus & S. Cyrillus, allegantes ad id locum propositum ex. 1. Ioan. 2. Ea porro vox Græca quam duobus citatis locis haberi diximus, nempe vox *παρὰ τοῦ υἱοῦ* duplici significatione facta est ut notauit S. Gregorius hom. 30. in Euang. Significauit enim *consolatorum*, vel *adhortatorum*, aut *interuentorum*, qui precibus, aliæ quæpiam ratione, impellat alium ad præstandum aliquid.

Et quidem cum Christus Ioan. 14. donatur Paracleti nomine, significatur consolatorum esse, ut manifestum est ex capitis textura. Et est sanè Christus, consolator optimus, non autem de consolatorum illorum numero, quos Iob *onerosos* nominat. Consolator inquam mœrentium omnium, quod de ipso in sua persona professus est Iob. Nec aliud ferunt quæ Christus de seipso affirmat, vocans se laborantium & oneratorum alleuatorum. In quam rem fulissimè disputat S. Augustinus serm. 24. de verb. Apostoli. Noëmium, quem interpretantur *quietem & consolationem*, fuisse Christi typum, cum alias ob causas de quibus plenissimè S. Augustinus 12. contra Faustum à cap. 14. tum nominatim ob prædictam nominis notationem, autor est S. Epiph. hær. 38. Sed & Isaïa 61. in Christi persona, Prophetia contestatur, se missum ut consolator omnes lugentes. Et glossa ad initium libri secundi Esdræ per Nehemiam, quem *Consolatorum* interpretantur, accipiendum docet Christum ad consolationem captiuorum, à Regis latere missum, de quo etiam Threno. 1. *deposita est uehementer, non habens consolatorum*. Et mox *longe factus est à me, consolator*. De quo ibi Glossa consolator est Deus Messias.

Itaque peculiariter conuenit Christo functio consolandi, tametsi reuera totius propria Trinitatis: quod hoc modo docet S. Fulgentius sermone nouo 52. initio. [Paracletus Græco eloquio, consolator dicitur in Latino. Consolatus est pusillanimes Christus, habitans cum hominibus in homine Deus, susceptæ mansuetudinis magister, beneuolus fortitudinis suæ præbens infirmis auxilium. Consolatorum promittit Spiritum sanctum ne tristes discipuli remanerent post eius ascensum, qui cum ipsis maneat in æternum. O inuidiæ operationis unitas! O Filij & Spiritus sancti cū Patre omnipotente cōsimilis & cōsempiterna potestas. Deum, Patrem esse consolationis, Paulus Apostolus prædicat, Ecclesiam Corinthiorum informans. *Benedictus* (inquit) *Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, & Pater totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra*. De Filio verò sequenti sermone subiicit, dicens, *sicut abundauit passionibus Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra*. Ecce Pater consolatur, ecce similiter Filius con-

solatur, ecce Spiritus sanctus consolatur qui Paracletus nominatur. Quomodo à quibusdam sacratæ unitas scinditur Trinitatis, quæ & indissociabilem possidet in dominatione virtutem, & in consolationis munere, communem adoptiuus exhibet charitatem?] Origenes quoque hom. 3. in Cant. *sub initium*, & filium & Spiritum sanctum, esse in proposito sensu paracletos, confirmat.

Sed prout sonat, causa patronum.

1017 Notio tamen vocis *Paracletus*, quæ de Christo enunciat apud Ioannem 2. loco prolato, alia est; nec consolatorum, sed patronum designat, ut S. Augustinus ibi, & Tract. 102. in Ioan. rectè vidit, eoque sensu est hic agendum de Christo paraceto, aut ut vulgatus ibi vertit, *aduocato*. In qua latina voce, cessat homonymia quæ in Græca voce *παρὰ τοῦ υἱοῦ*, habebat locum. Neque enim vox *aduocati*, significat consolatorum simul & patronum, sed patronum duntaxat, ut nunc quidem fert vñs receptus vel si placeat usurpare antiquam Latine huius vocis significationem expressam ab Vlpiano lib. 1. §. *aduocatos*, ff. de *extraord. crimin.* & ab Alconio ad 1. in Verrem, quos producit Brissonius ad tit. de Verbo. Significatione, *Aduocatus* est, qui vel vis suggerit, vel præsentiam suam amico commodat pro more antiquo, *aduocandi* in iudiciis amicos omnes, quorum auctoritate moueri posse iudices censentur. Omnes hi, & eo quod in iudicium *aduocarentur*, *aduocati* dicebantur; & eo quod amico patrocinarentur, patroni erant iis præsertim quis ius suggererebat.

Et sub hac maxime ratione, Christo titulum *aduocati* hic vendicamus, esseque Christo maxime debitum ex proprio munere huiusmodi titulum, latè prosequitur Driedo de captiu. & redemp. generis humanis tract. 2. cap. 2. parte 1. membro 3. prolatis variis Scripturis, in quibus causa nostra ventilari dicitur, Christo patrocinante pro nobis. Optimus locus est Ioan. 12. ubi Christus in passionis procinctu ait, *nunc iudicium est mundi*: id est, imminet hora, qua per mortem meam, feretur contra Satanam mundi principem sententia, & homo iusto iudicio ei eripietur, non per potestatem, sed seruato iustitiæ ordine, & causa discussa. Ita enim propriè accipiendum esse illud iudicium cuius Christus meminit, rectè notauit ibi Toletus annot. 12. Quia autem ut seruetur ordo iustitiæ, innocentis vel miserè oppressi causa, agenda est per aliquem *aduocatum*, qui firmamenta causæ agitando rectè peruat, & humiliter calumniatorem, hanc in se personam, Christus nostri miseris, in nostra causa suscepit; & accusatorum pessimum, apud iustum iudicem, vniuerso causæ processu ritè exposito, conuincit iniustitiæ, & causa cadere fecit. Rectè porro notat supra Driedo, ex eo quod Christus personam *aduocati* nostri agat, inde ortum esse, ut sæpè in Psalmis, & Prophetiis, inducatur Christus tribuens sibi quæ sunt hominis, in hoc iudicio rei. Eadem enim est causa rei, & *aduocati* qui rei patrocinium suscipit. Quod ad plerasque scripturas commode intelligendas, potest plurimum conducere, ut Driedo admonuit. Et sunt quidem alij, pro nobis in cælesti curia *aduocati*. Sex recensent

& illustrat Richardus à S. Laurentio lib. 2. de Deip. particula 2. causa 14. sed præ omnibus meritis in Christum cadit hic titulus.

Varij modi advocatum agendi in causa nostra, aptati Christo, & an per suummet nudum esse, patrocinetur.

1018 Munus istud, commentarius sancto Thomæ tributus 1. Ioan. 2. tripliciter à Christo exercitum docet. [Primo ante passionem devota oratione, Ioan. 17. *ego pro eis rogo*. Secundo, in cruce, sanguinis effusione, unde sanguis Christi melius quam sanguis Abel dicitur clamare Hebr. 12. Tertiò post Ascensionem, cicatricum representatione, iuxta illud Hebr. 9. *ut appareat nunc vultui Dei pro nobis*.] Non diffiteor, hos advocatum pro nobis agendi modos, in Christum cadere, idque mox aperiam. Sed aliquid esse prætermisum, vel potius minus distinctè expositum, contendo. Quod enim advocatio Christi ante passionem, ed tota reducitur, quod Christus pro nobis oraverit, non est adæquatè dictum. Aliæ enim præterea fuere advocaciones Christi pro nobis; nempe totidem quod fuere actiones à primo concepti Christi momento, pro nobis elicite. Nam omnibus illis actionibus Patri oblati, Christus causam egit. Imo plerumque Patres, velle videntur, ipsam assumptionem humanitatis esse advocacionem & interpellationem pro nobis. Sed hoc non est ita accipiendum, quasi substantia ipsa incarnationis, siue Christus in fieri, habuerit rationem advocati. Id enim falsum esset. Nam tota ratio advocacionis Christi pro nobis, sita est in allegatione iurium nostrorum, & Patris per eam impulsione, vel inflexione ad miserendum. Ea autem iura, fundantur in Christi meritis, & liberè profusi satisfactionibus, quæ non possunt intelligi in nuda incarnationis substantia, quæ est opus Dei solius, nec fuit aliquid Christo liberum, aut meritum.

Quare Patres qui advocacionem Christi pro nobis accipiunt de miseratione in carnis susceptione, intelligendi sunt de satisfactionibus Christi, per carnem assumptam exhibitis Patri, ita ut velint, eam advocacionem & interpellationem Christi pro nobis, non tam in precibus Christi preste acceptis, (quamquam & in his quoque,) sitam fuisse; quam in exhibitione satisfactionum per Deum hominem, in natura sua humana operantem pro nobis.

Sic intelligendus est S. Gregorius 22. Mor. c. 13. tractans illud; *Quis mihi tribuat adiutorem, ut desiderium meum omnipotens audiat*. In quem locum sic scribit. [Sciebat quippe quod ad requiem liberationis æternæ, humanæ preces nisi per advocatum suum audiri non possunt. De quo per Ioannem Apostolum dicitur; *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum*, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. De quo Paulus Apostolus dicit; *Christus Iesus, qui mortuus est pro nobis immo & qui resurrexit qui est in dextra Dei: qui etiam interpellat pro nobis*. Unigenito enim filio, pro homine interpellare, est apud coeternum Patrem seipsum hominem demonstrare: eique pro

humana natura rogasse, est eandem naturam in divinitatis suæ celsitudine suscepisse. Interpellat igitur pro nobis Dominus, non voce, sed miseratione, quia quod damnati in electis noluit, suscipiendo liberavit. Adiutor ergo queritur, ut desiderium, exaudiat: quia nisi pro nobis interpellatio mediatoris intercederet, ab aure Dei proculdudio, nostrarum precum voces fierent. [Et 1. 24. c. 3. docens, Christum esse Angelum loquentem pro homine vnum de similibus, ut annuntiet hominis æquitatem, quibus verbus Iob. cap. 33. vltus est; addit. S. Gregorius, iudico Christum, vnum de similibus locutum, dictum esse annuntiare hominis æquitatem, quia nisi ille hominibus similis fieret, æquus homo ante Deum appareret. Inde quippe annuntiat æquitatem nostram, unde suscipere dignatus est infirmitatem nostram, omnes videlicet nos, nimica illa persuasio, in culpæ contagio ab ipsa radice polluerat, nullūque erat, qui apud Deum pro peccatoribus loquens, à peccato liber appareret: quia ex eadem massa editos, æque cunctos per reatus involuerat. Proinde venit ad nos Unigenitus Patris: assumptis ex nobis naturam, non perpetrans culpam. Sine peccato quippe esse debuit, qui pro peccatoribus intervenire potuisset: quia nimirum alienæ pollutionis contagia non tergeret, si propria sustineret. Bene ergo dicitur: *Quia in eo quoddam similis apparuit, æquitatem hominis annuntians*. Intercedens enim pro peccatoribus, semetipsum iustum hominem qui pro aliis indulgentiam mereretur, ostendit. Plenisimè de hac æquitatis nostre annunciatione per Angelum Christum, advocatum nostrum, Rupertus lib. 1. de meditatione mortis à cap. 14.

1019 Eodem modo accipiendus est, qui pulcherrimè in eandem sententiam distulit Hilarius Diaconus, creditus Ambrosius, in cap. 1. ad Hebr. qui inde petit rationem, cur Incarnatio interdum exercitum, non sicut alias introitus dicitur. Tractat illud Apostoli, *& cum introitus introductus primogenitum*: quod ipse pro introitu accipiens, ait. [Paulus introitus Christi vocat assumptionem carnis; de qua ipse Dominus in Evangelio ait; *Exiit à patre & venit in mundum*: quod loco Christus, incarnationem suam, exitum vocat: quam Paulus hic introitus nominat. Quarendum rero est quare vnam rem duobus nominibus Christus & Paulus nominare voluerint. Significationes quidem dictorum manifestæ sunt, & secundum quid dicantur, apparet Christum quidem merito exitum vocat: foris enim eramus à Deo, sicut qui sunt extra regales aulis in vinculis colligati: & qui habent apud Regem pro calpis offensam. Huiusmodi quippe à regali aula foris exclusi sunt. Qui verò voluerit istis veniam impetrare, non primum ipsos in aulam Regis introducit, sed ipse foras egreditur, ibique cum eis communicat sermocinandi negotium, usque dum eos correctos reddat, & dignos efficiat, quod regis vultui representari mereantur, sic enim Christus efficit. Egreditur quippe ad nos, hoc est, carnem sumens & collocatus nobiscum, præcepta nobis intonuit. Et sic nos à peccatis emundans, & ad Deum convertens in aulam regalem velut advocatus optimus introduxit. Propterea ergo exitum vocat suæ incarnationis adventum. Paulus autem introitus nominat, ex metaphora hæreditantium, & ius domini

minandi in aliqua possessione sumendum.]

In eundem item sensum, sumenda sunt illa Petri Damiani sermone 12, agentis de Christi aduocatione & postulatione; ut ipse ex formulis forensibus loquitur. [Conuenienter Patrem postulat, qui semper exauditus est. Nam & vulgo & vulgariter dicitur: securus vadit ad placitum, qui Patrem habet iudicem. De eò namque Pater dicit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Nam cum filius eiusdem substantie sit cum Patre, in natura quidem humana, quam sibi personaliter vniuit, postulat pro nobis, vel allegat proprium iudicem, & propositi sui desiderij nobis fructum reportat. Nec incongruè Patrem dicimus, cum in persona filij Propheta dicat, *Iudica Domine nocentes me, expugna impugnantes me.* Et ipse filius: *Non quaro gloriam meam, est qui querat, & iudicet.*]

Sic item accipiendus est Nazianzenus orat. 36. ad Arrienorum obiectionem nonam, quam num. 52. refert, haustam ex illo Apostoli loco Hebr. 7. *semper viuens ad interpellandum pro nobis*, quam interpellationem, siue intercessionem, aut aduocationem, nihil dignitati Christi afferre, probat. [Intercessionis quippe nomen, non ut apud multos in more positum est, vitionis deprecationem habet (hoc enim, humilitatis quodammodò esset), sed idem significat, quòd, pro nobis, mediations ratione, supplicare. Quemadmodum & Spiritus pro nobis intercedere dicitur. Vnus enim Deus vnus etiam mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus. Intercedit enim nunc quoque, ut homo, pro mea salute, quoniam cum eo corpore est, quod assumpsit: quoad me, humanitatis assumptæ viatque potentia, Deum effecerit, tamen non iam secundum carnem cognoscatur, hoc est, Secundum carnales affectiones, ac citra peccatum, nostrum. Eodem modo aduocatum quoque habemus Iesum, non ut nostra causa sese ad Patris pedes aduoluentem, seruilique modo obicientem, Procul sit ista seruilis sane suspicio, spirituique indigna. Neque enim Patris est hoc exposcere, aut filij pati: nec de Deo hoc cogitare pium atque æquum est. Sed ex his, quæ humanitus perpassus est, ad tolerantiam me, ut Verbum & exhortator, inducit. Sic ergo aduocationem hanc intelligendam arbitror.] An hæc cohæreant cum Christi oratione in cælo, postea videro. Nunc illud vnum accipio, quod est in his verbis exploratum, Christi aduocationem & interpellationem pro nobis, eandem esse cum Christi mediatione, quæ in profulis per incarnationem actibus, est constituta.

Christus, aduocatus noster, maxime in Cruce.

1020 Quia tamen præcipui actus, quos pro nobis Deo obtulit verbum incarnatum, ij fuerunt quibus mortem crucis accepit, & sanguinem ac atrocissimæ mortis perpassionem Patri obtulit, tuncque obsignata est aduocatio Christi pro nobis, ex vniuersis actibus satisfactorijs, quos pro nobis per totam vitam elicit, indiuisibiliter contexta; propterea non malè Patres, aliquando aiunt aduocationem Christi pro humano genere, fuisse in cruce factam: quia ibi maxime splenduit satisfactio pro nobis; & tunc iuxta Christi verbum iudicium fuit

Theoph. Raynandi de Attrib. Christi.

mundi. Excito enim ad iudicium, Satana mundi princeps, & misero homine, per Satanam iniuria oppresso, Christus de crucis suggesto causam nostram agens, deiectionem aduersarij à iusto iudice exorauit. Audi Euthymium in Psal. 15. [Gentes quæ olim, à Patre atque à Filio creatæ fuerant, & Dei figmentum dicebantur, discesserant, ab eo, & conuersæ ad Idololatrias, postremò ei per fidem iterum restituta sunt. Hanc autem restitutionis gratiam, Filius in Patrem tanquam in principium refert. Aptissime verò hic versiculus ad præcedentem interpretationem consequitur. Hac (inquit) de causa, tu es particeps hereditatis meæ, & calicis mei, quoniam tu mihi eam restitisti. Et hereditatem posuit priusquam calicem, quoniam hereditas mortis illa causa fuit. Nec tacenda nobis est quedam non inelegans de prædictis speculatio. Hominem ad imaginem & similitudinem Dei factum & plasmatum, atque idè hereditatem Creatoris dictum, sub propriam redegeat Demon tyrannidem, & alienum mancipium sibi usurpauerat: ad quem Dei Filius & hæres literas misit, scribens ei per Prophetas, hereditatem illam repetens, qua fuerat fraudatus. Et quia Demon continuè magis resistebat, & rapinam reddere negabat, hæres accepto Patris sui Testamento, ad raptorem descendit. Inter eos autem Iudex fuit Pater, qui condemnato rapitore, Filio hereditatem restituit. Huius rei gratia, Filius nunc, participem illum tam præclari operis appellauit.]

Egregie omnino, hanc Christi in cruce aduocationem expressit Petrus Damiani serm. 12. tractans illud Psalmi 2. *postula à me.* Quam postulationem, esse actionem forensis, aduocati pro cliente suo agentis, sic edisserit, & aptat ad Christum. [Si consulamus auditorium iurisperitorum, primum capituli propositi verbum, sic describitur. *Postulare* est, desiderium suum, vel amici sui, in iure apud eum qui iuris dictioni præest, exponere, vel alterius desiderio contradicere. Actus iste publicus est, & est officium aduocatorum, qui gloriosa vocis confisi munimine, lapsa erigunt, fatigata reparant, nec minùs prouident humano generi, quàm si clypeis, & thoracibus sese, patriamque defendant. In exequendo actu isto, attendere debemus qui postulat, quem, ubi, & quid postulet. Aduccatus postulat iudicem in iure rem suam, vel sibi postulat, actione proposita. In negotio præfenti, aduocatus est Christus, Iudex, Deus Pater & locus iuris patibulum crucis, res postulata Ecclesiæ degentibus, nomen actionis, petitio hereditatis. Rectè Iesum Christum dicimus aduocatum, vnde Ioanne: *Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Dominum Iesum Christum: ipse est propitiatus pro peccatis nostris.* Aduccatus ille apud Patrem desiderium suum exposuit, quando pro salute humani generis, oblatu est, quia ipse voluit.] Et rursus, ad eiusdem sermonis finem. [Ecce quidam ludus iudiciarius occurrit nobis in Scripturis, Deum Patrem representans. Locus iuris, in quo Aduccatus noster postulat, patibulum crucis fuit. Cum enim ex officio suo aduocati habeant stare, ipse non stans, sed toto corpore extenso in ligno crucis apud Patrem pro nobis allegauit, desiderium suum, & amicorum suorum exponens & aduersarij desiderio contradicens, vsque ad pro-

Y Y p r j

prij sanguinis effusionem. Rem suam postulat; idest genus humanum, quod ipse creauit, cuius verum dominium habebat. Ecclesiam de Gentibus conuertere postulauit, tanquam proprius haeres hereditatis petitionem proponens, & in possessionem de iure mitti desiderans. Petitionem autem hereditatis, ex ordine, & regulari iure, proponitur aduersus eum, qui possidet pro haerede vel possessore. Pro haerede possidet, qui dicit se haerem esse, cum non sit; pro possessore possidet quis, cum nullo titulo potest tueri suam possessionem: qui si requiratur quare possideat, nullam aliam causam allegat, nisi quia sic possideo. Rectè autem proposuit Dominus noster aduersus Diabolum, quia hereditatem Domini pro possessore possidebat malignus prado. De quo Propheta: *Ubi qui pradaris, nonne & ipse pradaueris*. In hac aduocatione, siue postulatione Aduocati nostri, maxime gaudet Ecclesia die Resurrectionis Dominicae, quia Aduocatus postulauit, quia postulata impetrat; quia impetrata obtinuit & possedit: Inde est, quod tripliciter laudem subiungit. Introducens enim Filium loquentem ad Patrem & dicentem: *Postulaui patrem meum*. Ecclesia respondet *Alleluia* idest, Deo laudes, quia postulasti. Item: *Dedit mihi gentes*. Et respondet Ecclesia: *Alleluia* idest, Deo laudes, quia impetrasti. Item: *In hereditatem mihi*. Respondet. *Alleluia*, quia obtinuisti & possedisti. Ita habet Ecclesia in sacro officio octauae Paschalis antiphona ad psal. secundum Matutini.

1021 S. Cyrillus l. 3. de adorat. cum Davidem populi aduocatum 2. Reg. 24. descripsisset, in causa flagelli diuini inferendi, subdit, eam aduocationem, fuisse typum eius aduocationis, qua Christus pro nobis in cruce perfusus est. Similiter S. Chrysostomus serm. aduersus haereticos, virgens Arianum, qui ea Christi verba Ioan. 17. cum ad passionem accingeretur, *Clarifica me Pater claritate quam habui*, in Verbi dedecus detorquebat; ostendit ea potius ad Christi pro nobis aduocationem in passione, esse referenda, sic virgens Arium. Nondum intellexisti & Ari, sacramentum quod est in Christo, nec mirum: Spiritus enim caris, qui te inducat in veritatem. Nondum capis, quod non pro semetipso hoc dicit, sed pro Adam, quem & acciperat. Nam sicut aduocatus à malefactore instructus ad tribunal accedit, & personam gerit eius cui patrocinatur, & omnia crimina eius qui indicatur in se assumit, & quasi pro seipso apud iudicem causam agit, tametsi criminum minimè reus sit, eum in modum & Dominus noster Iesus Christus, venit à caelis inpeccabilis. Peccatum enim non fecit. Induit me Adam assumptis in se mea crimina. Ipse enim peccata nostra portat, & pro nobis dolo. Induit me Adam personam, & pro me intercedit. *Glorifica me Pater*, (inquit,) *gloria quam habui, antequam hic mundus esset*. Qui factus sum Adam, eram in incorruptibilitate, aequalem cum Angelis mensam sortitus etiam: in deficientem mihi cibum paradisi quotidie producebat: Spiritus sancti gratiam & gloriam in facie ferebam, hanc per meam transgressionem amisi: nunc oro: *Glorifica me Pater gloria quam habui apud te, antequam hic mundus esset*. Ea propter supernè respondet Pater dicens: *& glorificaui hanc in paradiso, & iterum glorificabo*. Nam in

eandem paradisi gloriam & delicias, te iterum collocabo. Quod autem cum hac diceret filius Dei habuerit gloriam Patri aequalem, testatur ipse, cum dicit: *Ego & Pater unum sumus*: & *Qui videt me, videt & Patrem meum*, & Ioannes clamat dicens: *Prædiximus gloriam eius, quasi geniti à Patre, plenus gratia & veritate*.

Sitem Macarius homil. 11. inducit disputantem iudicialiter Christum, cum morte, idest Satana, & ex iure persoluti ritè pretij in morte sua, adigentem eum ad laxandos quos iure chiographi antiqui habebat obertos & vinctos. Quæ iudicialis disputatio, alia non est, quam aduocatio de qua agimus. Et cum iuxta S. Macarium dicatur facta per corpus Christi propter nos mortuum, vides eam recidere in disputationem iudicam ex Damiano expressam. Sed quod S. Macarius, vixisse Christum dicat Chiographi refectionem, ob persolutum pretium, dicam de hoc postea, agens de Christo fidei insore.

1022 Sufficio Macario, Theodoretum sermone decima de Provident. qui Christum causæ nostræ in cruce patronum, vehementissimè in cruce perorantem aduersus Satanam, eumque iniustitiae conuincentem, sic repræsentat. [Christus communem maledictionem suscepit, nam scriptum est. *Maledictus omnis qui pendet in ligno*. Dum autem dicit, *Pro nobis* ostendit, quod innocens ipse, & omni peccato liber, nostrum debitum persoluerit, nōque innumeris debitis pressus, & propterea seruare coactus, liberare dignatus sit, nos & redimens & proprium sanguinem pretij loco deponens. Propterea idem alibi clamat. *Pretio empti sumus*. Hac de causa, & crucis mortem suscepit: quandoquidem maledictum erat secundum legem hoc mortis genus, simul autem maledicta erat nostra natura, ut legem transgressa (*maledictus enim inquit omnis qui non manserit in iis quæ libro legis continentur, et faciat ea*) idem communem maledictionem suscepit, & iniusta mactatione illum soluit. Nam cum maledictioni non subiaceret, (*peccatum enim non fecit, nec inuenit. est delictum in ore eius*), peccatorum tamen mortem soluit, & contra communem naturæ hostem, Damohem, litigat propugnator simul & patronus nostræ naturæ factus; & merito ad idrum nostrum tyrannum dicit: *Captus es pessime, & tuis propriis rebus comprehensus es, & tuus gladius in cor tuum penetravit, acus tui coheriti sunt, foueam fodisti & incidisti in illam*. Dic enim, quare corpus meum crucifixi, & morti tradidisti? quam peccati speciem in me conspicuas? quam legem transgressionem vidisti? En diligentius nunc nudam in cruce hoc videns, scrutare. Inspice linguam quam probro carentem, & auditum omni noxa liberum, oculos item qui nullam intrinsecus corruptionem senserunt, & manus ab iniustitia quidem alienissimas, omni autem in ista ornatus, pedesque non in malitia (ut Prophetis verbis utar), currentes, sed virtutis stadium emensos. Scrutaro quam diligentissime omnia corporis membra, inquisito animæ motus. Sitemque vel minimum aliquod delictum inuentum fuerit, benè utique & iuste me detines: præmiū enim peccatorum est mors: quod si verò nihil eorum inuenis quæ diuina lex prohibet, quoniam

potius omnia quæ hæc præcipit, non sino te
detinere quod detinere nefas est, imo aliis quo-
que carcerem aperiam, te verò solum conclu-
dam, utpote qui legem diuinam transgressus sis.
Diuina enim lex peccatores morti tradidit; tu
verò etiam peccati expertem, mortis vinculis
tradidisti, & insatiabilis tua libido, extrema tibi
crudelitatis causa fuit: eumque vnum iniuste cec-
peris, omnibus simul subditis iuste spoliatis, &
qui cibum vorauisti non edendum, omnem autè
deglutitum euomes, & docebis omnes præsen-
tibus contentos esse, iisque quæ ad se non perti-
nent abstinere. Recordate propter quod huma-
ni generis progeniti Adam morti traditus sit.
Hic cum ipsi omnium paradisi arborum copia
facta esset: iis quæ data erant non contentus, ar-
borem scientiæ tangere ausus est, cuius fructum
creator vetuerat: vide insatiabili cupiditate la-
borans, & vetita concupiscens, toto paradiso pri-
uatus est. Illis te quoque supplicis subiciam. In-
iustum enim foret, eum qui seductus fuit, iusti-
modi penam sustinuisse, seductorem verò non
eodem supplicio puniri. Quoniam itaque & tu,
qui potestatem in peccatores acceperas, corpus
inuasisti nullius peccati reum, potestate tua dis-
cedito, tyrannide desistito, omnes à morte libe-
rato. Non simpliciter dominij potestate vtor, sed
potestate iusta. Debitum enim pro humano ge-
nere persolui. Qui mortem non debui, mortem
sustinui: quique morti subiectus non etiam mor-
tem suscepi. Insons cum essem, sontibus ascrip-
tus sum: quique à debitis omnibus liber eram,
in debitum ordine constitutus sum natu: æ
ergo debitum persolui. Et dum mortem immeri-
tam sustinui, meritam dissolui, qui iuste detenti
fuerant, ipse iniuste correptus à carcere dimitto.]

Patronum & propugnatorum inducere rece-
perat Theodor. & iudicem exhibet. Nec imme-
rito, simul enim Christus in hac causa, & iudex
est, & aduocatus: quod latè tradit Driedo tr. 2.
de captiu. & red. gen. hum. c. 2. p. 1. memb. 3. pro-
ferens multas Scripturas in quibus Christus,
etiam in primo aduentu, statuitur iudex satanæ
in causa nostra, nominatimque super thronum
crucis, sedens & iudicans æquitatem, vt habetur
pl. 9. ibidemque iudicans in nationibus, & im-
plens ruinas, vt est in pl. 109. Quod tamen Chri-
stus non iudicet nisi ex potestate à Patre deri-
uata, denominatur potius in hac causa aduoca-
tus, ex proprio munere quod pro nobis obit pa-
troni & aduocati. Hanc potestatem fuisse iudiciariam
discepcionem, negat Theodoretus suum esse
commentum. [E factis enim (inquit) Euangelis,
& Apostolicis traditionibus, hæc sic se habere
instituti sumus. Nam ipsum Dominum audiui-
mus dicentem: Venit mundi princeps, & in me in-
ueniet nihil. Nullum enim, (inquit) habeo pecca-
ti iudicium. Corpus habeo omni peccato libe-
rum, verumtamen licet nihil inueniat, quasi in-
numeris obnoxium debitis morti tradet: ego au-
tem id patior, ipsum sua tyrannide iuste eiicere
volens. Quapropter alibi idem inquit. Nunc iu-
dicium est mundi huius, nunc princeps mundi huius
eiicetur foras. Cum enim iudicium fuerit, con-
demnabitur, & tyrannide eiicetur, vt qui iniu-
stam contra me sententiam tulit.]

103 Pereleganter, (sed plenius quàm vt
hic referri possit,) Petrus Cellensis l. de panib.
c. 15. discussionem iudiciariam causæ nostræ
coram Deo iudice; Satana aduersario astante,
proponit. Christum verò ne oppressum se in iu-

Theoph. Raynaudi de Attrib. Christi.

dicio Satan expostulat, pro homine vltro im-
molatum, exhibet elegantissimè. Item Rupertus
l. 2. de oper. Spir. sancti c. 17. & 18. cum præmi-
sser antiquorum Oratorum humani generis,
& suam causam agentium, Rhetoricam diuinam
omnibus absolutam numeris; cecidisse tamen
causa, cor ceciderint, Christus autem aduoca-
tus victoriam litis obtinuerit, exprimit in hunc
modum. [Si tanti Oratores antiqui, veteres san-
cti, quorum hic sermo erat, libera fronte in
auditorio cælesti assisterent, & nullis peccato-
rum maculis cooperti, aut contaminati fuissent,
hoc vnum idem maximum intererat, & assisten-
ti iudici Deo misericordiae voces retardabat:
quia maculatas antiquo probro personas iusti-
tia repellebat. Ecce autem vnus aderat, atque
pro omnibus assisteat, homo reuerendus & pro
reuerentia dignè exaudiendus, in quem nihil
quærelæ haberet iustus naturæ nostræ iudex
Deus, imo apud quem magnæ vicissitudinis de-
bitor teneretur Deus. Peccatum quippe, neque
originale contraxerat, neque actuale commise-
rat, & tamen peccati penam, id est, mortem pro-
pter præceptum eius obedienter subibat. Dice-
bat igitur. *Responde mihi, quantas habeo iniqui-
tates & peccata, scelera mea atque delicta ostende
mihi.* Quid ad hæc Deus responderet? Nunquid
illi respondere poterat, quod vllas haberet hic
homo iniquitates, aut peccata in propria perso-
na, & non potius iustificaciones & merita? Pro-
inde iam illum arguere Deum decebat, vt dice-
ret. *Cur faciem, &c.* Quod si ille responderet, non
ergo à te faciem meam abscondo, neque arbi-
tror te inimicum, imo filium meum charissimum
sicut testificatus sum voce ad te delapsa à magni-
fica gloria, & dixi: *Tu es filius meus dilectus, in te
mihi complacui.* Habebat iste vocem vtique con-
stantem, causamque legitimam, vt diceret veraciter,
quod vni ex minimis meis, imo omnibus meis
fecisti, mihi fecisti. Nam verè eius erant, omnes
iusti siue electi qui eum expectauerant ab origi-
ne mundi; & omnibus illis abscondebatur Deus
faciem suam, interposito pariete inimicitiarum,
arbitratus eos inimicos suos propter peccatum,
quod peccauit communis omnium pater Adam.
Erant etenim illi quoque, natura filij iræ, sicut
& cæteri: *Cur ergo, (inquit) faciem tuam abscon-
dis & arbitraris me inimicum tuum?* In quo? *Scri-
bis enim contra me amaritudines, & consumere me
vis. peccatis adolescentiæ meæ.* Scribis enim, imo
scriptas apud te retines contra me amaritudines
quas hoc modo homini elocutus es. *Quia audisti
vocem uxoris tuæ, & de ligno ex quo præceperam
tibi me comederes, comedisti, maledicta terra in
opere tuo. In laboribus comedes ex ea, cunctis die-
bus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, &
comedes herbas terræ. In sudore vultus tui, vesceris
pane tuo, donec reuertaris in terram de qua sum-
ptus es, quia pulvis es, &c.* Eiusmodi amaritudines
ex tunc scribis contra me, simulque consumere me
vis peccatis adolescentiæ meæ. Siquidem tã pro
originali, quã pro actualibus peccatis, quæ ado-
lescência leuitate cõmissa sunt, de quibus Pl. *Delic-
ta, &c.* hæcenus vniqueque consumere vis. De-
inde posuisti in neruo pedem meum, funibus
peccatorum suorum constringens vnumquem-
que, vt non quæcumque velit, illa faciat, vt con-
delectetur, nonnunquam legi Dei secundum
interiorem hominem, videat autè aliam legem in
membra suis, repugnantem legi mentis suæ & capti-
uam se ducentem in lege peccati quæ est in membris
suis.

Y Y y 2 suis.

fuis. Hæc cæteraque iam dicta, vel his similia, cum clamore intimo, clamore, (vt ait Apostolus,) valido, & multis lachrymis perorando, per hunc sapientiæ spiritum, victoriam obtinuit, in iudicio, secundum rationem æquitatis, quam pendens idem Apostolus, ita dicit: *Si enim vniuersi delicto mortui sunt, multo magis gratia Dei, & donum in gratia vniuersi hominis Iesu Christi, in plures abundauit.*

Vides porro iuxta Rupertum, pertinere ad hanc Christi in cruce aduocationem, quod habet Apostolus Heb. 5. *in diebus carnis sue, preces & supplicationes ad Deum cum lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.* Quamuis enim probabilis sit sensus ille huius loci, quem late prosequitur Bellarminus lib. 2. de 7. verbis Dom. cap. 19. quod scilicet ea oratio, Christum ipsum respexerit, ad obtinendam celestem sui corporis resurrectionem; tamen probabile quoque est, quod passum tradunt alij, nempe Apostolum expressisse Christi pro nobis interpellationem in cruce; & docuisse, Christum pro nobis tunc orantem, fuisse pro sua reuerentia exauditus.

Christus aduocatus noster, etiam orando, & quidem propriè.

1024 Certum tamen est, huiusmodi aduocationem Christi, longè quoque anteriorem fuisse. Neque enim tunc primum orauit Christus pro humano genere, sed ab initio vitæ; estque valde pia & verisimilis sententia Suarij lib. 1. de orat. cap. 1. num. 7. qui existimat, Christum per totam vitam continuasse orationem; quia sicut occupatio in alijs rebus, non auertebat Christi intellectum ab usu scientiæ beatæ & infusæ; ita neque ab oratione, quamvis aliquibus temporibus, potius quàm alijs, specialiter legatur orasse, etiam mentaliter; nempe applicando intellectum, non solum vt operantem independentem à corpore, sed etiam vt se conuertentem ad phantasmata inter orandum. Hic enim orandi modus, exigebat vigiliam; (ideoque interdum Christus legitur pernoctasse in oratione Dei;) nec erat perpetuus aut continuus, propter corporis imbecillitatem. Et respectu quoque huius modi orandi, dictum est à Nazianzeno orat. 28. numer. 21. Christum vt orandum studiosè doceret, secedere interdum solitum. At oratio profusa independentem à corpore, potuit in Christo esse perpetua: nec plus ea perpetuitas orationis est à Christo aliena, quàm alius usus scientiæ, quem in Christo fuisse perpetuum, supra vidimus. Quod si Christus perpetuò orauit oratione propriè dicta, quis dubitet, interpellationem illam Dei per Christum, ferè nos spectasse? Nam pro seipso, pauca occurrebant petenda; vt propterea S. Cyprianus lib. de orat. Dom. num. 80. neget Christum pro se orasse, quæ verò pro diuinæ gloriæ amplificatione poscebat, reuoluebantur in bonum nostrum; per quos ea diuinæ gloriæ accessio erat præstanda. Siue autem Christus perpetuò orauerit, eaque modo semper viuentem interpellatorem & aduocatum pro nobis egerit, siue aliquando orationem omnem abtulerit, tamen certum est, orasse aliquando pro nobis oratione propriè dicta, etiam priusquam crucem conscenderet, & extremam illam

orationem funderet pro Apostolis, & credituris per verbum eorum in ipsum.

Hanc postremam, & alias interiores interpellationes, pro nobis à Christo factas, aio esse orationes propriè dictas, hoc est non propterea generaliter sumitur, designatque quamcunque animi eleuationem ad Deum per contemplationem, aliòve actus à petitione distinctos, sed propterea sumitur pro petitione & intercessionem pro nobis. In quo sensu, S. Damascenus orationem de Transfigur. sub medium, videtur abrogasse Christi orationem, sic enim scribit, tractans orationem Christi in monte Thabor, cum facta est species vultus eius, altera. [Ceterum alio modo serui, & alio Dominus orabat. Etenim serui, metu, atque amore, per postulationem ad Dominum accedunt; atque oratio hoc meriti affert, vt ad Deum peregrinetur, & cum eo copuletur, eamque per se alit & corroborat. At verò sancta illa mens, eam Deo Verbo per hypostasim vnita sit, quo tandem pacto orabit? Quoniam item modo Dominus orans affabit? An non perspicuum est, ea de causa ipsum orasse, quia personam nostram afficebat, atque vt nos erudiret, viamque nobis, qua ad Deum per precationem ascenderemus, muniret, doceretque per orationem nobis diuinam gloriam conciliari: illudque etiam ostenderet se Deo minimè inimicum & aduersarium effectum prætereā vt Patrem, tanquam sui principium & causam, honore afficeret, carnisque per naturam suam gressari permitteret, vt per se ipsam & robur concipiat, & erudiat atque ad præstantiorem disciplinam & habitum peteniat. Quin etiam vt tyrannum, sedulo an Deus esset obleruantem, inescaret. Nam hoc miraculorum potentia prædicabat. Ob eam causam, diuinis humana nunquam non miscet, tanquam scilicet sub esca hamum occultans.] Et mox, vt monstret qualis esset Christi oratio, addit, [Quam porro inuocatio erat, Propheta David docet, apertè proloquens; *Ipse inuocabit me, Pater meus es tu, Deus meus & susceptor salutis meæ.* Pater nimirum, vt Dei ac filij, quique ante secula, atque omnem essentiam, à Patre effluerit: Deus autem & susceptor salutis, vt incarnati, quique nostram in seipso naturam atque humanitatis personam subierat.] Quasi diceret, Christum non aliter inuocasse, nec aliter dictum orare, quàm agnoscendo Patris maiestatem, eamque demississimè colendo. Spectat eodem quod lib. 4. de fide c. 19 ait Christum fecisse. [Quædam simulationis inodo; vt cum Christus de Lazaro interrogat, *ubi posuisti eum?* & cum siculneam se confert, & cum refugit ac se propit, & cum precatur: ac denique cum de eo ita scriptum est, *Finxit se longius ire.* His enim ac similibus, nec vt Deus, nec vt homo, opus habebat, verum ratione humanitati congruente ad id se confortabat, quod usus, atque utilitas poscebat. Verbi gratia, ob eam causam precabatur, vt se impium quendam. Deique aduersarium minimè esse demonstraret; atque vt Patrem, à quo causam ducebat, honore afficeret.]

Hæc vt sonant, fateor mihi non probari. Neque enim Christus vel simulatorie agens, vel duntaxat vt Patrem coleret, aut ab eo se nequaquam alienum doceret, orauit absque propria petitione, præ se ferens duntaxat exterius petentis formam; sed verè orauit postulando, vt ro-

ties docemur in Scripturis, quas fas non est contra vocum proprietatem, cum nullum ea retenta subit absurdum, detorquere ad sensus extraneos. Fortassis tamen, licebit eodem modo S. Damasc. accipere, quo Ioan. Hesselius lib. de inuocatione sanctorum cap. 15. accepit S. Chrysostomum; qui cum toties & tam discretè, Christi veram & propriè dictam orationem agnoscat, nominatimque hom. 84. in Matth. ubi Christum intentius orasse docet, ne eius oratio, hypocritis videretur; & homil. aduersus eos qui ad synaxes non occurrunt, qui locus allegatur in 6. Synodo actio. 10. tamen quibusdam locis, videtur negare Christum verè orasse in hac vita, vt homilia 63. in Matthæum ad illud, *quoniam audisti me*. Et homil. 14. ad illud *rogabo patrem*. Ac denique homil. 79. ad illud, *subleuatis oculis*. Quæ Chrysostomi loca, ita exponit Hesselius, vt tantum velit S. Chrysostomus, Christum non orasse secundum diuinitatem vt Arianæ tunc blasphemabant: nec item orasse secundum humilitatem, eo orationis genere quod coniunctum sit cum ignorantia, & incertitudine accipiendi rem postulatam. Si igitur huiusmodi quoque interpretatio ad prolatum ex D. Damasceno locum, accommodari queat, eo melius.

Dilata, quæ aduersus propriam Christi viatoris pro nobis orationem, & an ea semper esse effeac.

1025 Itaque Christus, prolatis iurium nostrorum firmamentis, suis inquam meritis, & nostris eius sanguine teleris, causam nostram agens, dum hic inter nos versaretur, aduocatum se nostrum prodidit, hæc & illa bona nobis deponens, propriè dicta oratione, quæ hominem verum maxime decebat, cum per eam petitionem maximè honoraretur Deus, & nostra per nos ipsos indigentia ac mendicitas manifestetur. Et præciebat quidem Christus, omnia quæ poterat per orationem impetrare, essentia enentura: sed præciebat esse euentura interuentu petitionis, tanquam mediæ ad id diuinitus præstitis ab initio. Per se item plurima poterat; Sed adhibitis mediis diuinitus præordinati, inter quæ S. Aug. conc. 2. in Plal. 36. tractans locum ex 1. Reg. 2. prolatum à Donatistis *si Sacerdos peccauerit, quis orabit pro eo?* ait hunc locum, (quod fecerant Donatistæ,) non debuisse de quouis Sacerdote accipi, sed de Christo, de quo Apostolus Ioannes. [dixit, *Aduocatum habemus ad Patrem, Iesum Christum iustum & ipse est exoratio pro peccatis nostris*. Sed illud de illo Sacerdote scriptum est, quem isti non intelligunt, vt admoneretur populus in prophetia talem se debere agnoscere sacerdotem, pro quo nullus posset orare. Quis est autem pro quo nullus orat, nisi ille qui pro omnibus interpellat? Quia ergo tunc sacerdotium erat Leuiticum, ubi Sacerdos intrabat in sancta, & offerebat hostias pro populo, habebat autem imaginem non veritatem futuri cuiusdam Sacerdotis: (tunc enim & ipsi Sacerdotes peccatores erant, sicut ceteri homines:) volens Deus per Prophetam admonere populum, iam talem desiderandum esse sacerdotem, qui interpellaret

pro omnibus, & pro eo nullus oraret: designans talem, admonuit & dixit; *Si peccauerit populus, orabit pro eo Sacerdos. Si autem Sacerdos peccauerit, quis orabit pro eo?* Itaque ô popule, talem elige Sacerdotem, pro quo non cogaris orare, sed de cuius oratione pro te securus esse possis. Ipse est Dominus noster Iesus Christus, vnus Sacerdos, vnus mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.] Sic eo loco, de Aduocati nostri oratione, Augustinus.

Tam feliciter porrò causam nostram egit Aduocatus & orator noster, quoties pro nobis orauit, vt nunquam sit repullam passus, sed semper exauditus sit, pro sua reuerentia. Quod generaliter de quouis Christi oratione aperte tradit S. Thomas 3. p. q. 21. art. 4. inde hoc confirmans, quod Christus secundum voluntatem superiorem, nihil aliud posceret, quàm quod sciebat Deum velle. Vnde exaudiebatur semper, quia de voluntate Christi absoluta ad diuinæ voluntatis nutum formata, procedebat omnis eius oratio, completè & integre spectata: quod addo, quia interdum Christus simplicem affectum suum quem præciebat repellendum, ita prodebat orando, vt tamen adungeret limitationem secundum quam auditus est. Subiunxit enim. *Verumamen non sicut ego volo, sed sicut tu;* quæ fuit absoluta Christi voluntas, repullam non passa. Opponunt præterea aliqui, orationem pro crucifixoribus, in qua non videtur exauditus, cum Deus illis, (saltem omnibus,) non ignouerit, quod ferebat Christi ad Patrem petitio. Hæc tamen non rectè opponuntur. Imo fortassis contra Apostolum, qui de Christi oratione in cruce, testatur eam fuisse exauditam pro sui reuerentia. Tamen verò effectus conuersionis omnium crucifixorum, securus non est; nemini tamen negata est gratia, per quam effectus ille sequi posset. Christi porrò oratio non aliud spectauit, quàm vt omnibus quantum erat ex Deo, ignosceretur, omnibusque conferretur gratia qua possent illius, vt apud S. Cyprianum sermon. de Passione nominatur, *seleu scelerum & peccati peccatorum, absterisionem & abolitionem obtinere, vt iis contigit per quos non stetit.*

An Christus, etiam nunc propriè oret pro nobis. Pars negans.

1026 Maior difficultas est, an Christus, tali pro nobis aduocatione, etiam nunc in cælo perfungatur: seu an oret nunc pro nobis. Negant plerique recentiores, vt Lessius lib. 1. de diu. perf. nu. 83. (sibi contrarius lib. 2. de virtut. cap. 37. à num. 24.) Magalinius 1. Timo. 2. scet. 33. annot. 5. Becanus de Incarn. cap. 17. q. 4. Valques 3. p. d. 82. c. 2. & Espenæus l. de mediat. cap. 8. qui contrariam sententiam, carnalem imaginationem à veteribus Catholicis contritam, nominat; & multos in hanc sententiam; Partes laudat. Nazianzenum superius protuli. Chrysostomus hom. 15. in ad Rom. ad illud *Christus qui mortuus est, qui & intercedit pro nobis*, non minùs discretè idem tradit, ita scribens. [Etenim in propria dignitate qui apparuit, nostri curam non deposuit, sed & pro nobis intercedit, & adhuc eandem charitatem constanter seruat, neque enim contentus est occasione solum, quod quidem maximi est amoris argu-

mentum,

mentum, officiis iis quæ ad ipsum pertinent, non fungi modo, sed & alium quoque obsecrare. Hoc enim solum per id verbi intercedit, demonstrare voluit, more hominum loquens, ac nostræ sese imbecillitati attemperans, ut charitatem declararet. Nam verbum id intercedit, nisi cum hoc sensu acceperimus, multa absurda subsequuntur. Atque ut intelligas, hoc esse quod adstruere vult; prius ubi dixit illum esse ad dexteram: tum addidit, illum pro nobis intercedere: quod æqualitatem ac paritatem declaravit, ut iam ipsa intercessio, non imminutionis, sed charitatis solius esse videatur. Si enim ipse vita cum sit, & fons bonorum omnium, & parem cum Patre auctoritatem habeat, mortuos suscitans, ac viuificans, omniaque alia faciens: quomodo intercessionis egeat, ut nobis adiumento sit; desperatos & condemnatos, propria auctoritate ab illa condemnatione liberavit, & iustos & filios fecit, & ad honores supremos subiecit, & quæ nunquam sperata fuerant, ea ad opus deduxit; quo tandem modo, post omnia à se perfecta, post naturam nostram in throno regio ostensam, ac collocatam, ad ea quæ faciliora sunt, intercessionis indigeat? Vides ut vndique ostendat, se alia nulla de causa Verbi id, *intercedit*, dixisse, quam ut feruorem ac vigorem illius erga nos charitatis declararet.]

Rupertus præterea lib. 9. de diu. offic. cap. 3. tractans illud Ioan. 14. *Ego rogabo patrem, & alium Paraclitum dabit vobis*, contendit id debere accipi, de precibus à Christo postea fufus tempore passionis. [Non enim (inquit,) postquam ascendit in cælum, clamat ut saluetur à morte; ergo nec rogat ut Paraclitus nobis detur, sed dat, iam ex tunc, vtens data sibi potestate in cælo & in terra.] Et mox exponens illud Rō. 8. *Christus qui est à dextris Dei qui etiam interpellat pro nobis*, ait. [Illa namque interpellatio Doctorum omnium vera assertione, non summissa est postulatione, sed eius passionis quæ semel suscepta, semel pro nobis in sacrificium oblata est, æterna commemoratio, semel in conspectu sanctæ Trinitatis admissa sanguinis eius innocentis exclamatio, homicidas qui fuderunt, conuincens; Nos autem qui bibimus in ministerio altaris, non indiga, sed potenti interpellatione defendens. Alioquin, quomodo & antequam ascendisset ait; *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*? sic & postquam ascendit, ut possit interpellat, vel rogat dari nobis Paraclitum?]

Hæc postrema verba continent, non inuallidam rationem huius sententiæ; càmque mox iterat Rupertus, & confirmat, partim ex praxi Christianorum; nemo enim Christum nunc rogare ausit ut pro nobis roget sed ut misereatur poschemus dicentes *Christe eleysen*; ut inquam concedat pro potestate eum precamur, partim etiam ex eo quod disertè Christus Ioan. 16. proficitur, se post mortem non rogaturum pro nobis, cum ait; *In illa die, in nomine meo petetis, & non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis. Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis*: quibus verbis Rupertus contendit euinci illum alium locum ex Ioan. 14. quo Christus dixerat, *rogabo patrem & alium Paraclitum dabit vobis*, ad preces in cruce fufas pertinere; non autem ad preces postea exhibitas. Pugnant enim duo

illa, *rogabo & non rogabo*, si ad idem tempus referantur. Accedit quod Christus, cum viator erat, distinctè agnoscebat omnes aliquando occurruras aliquid petendi occasiones; proindeque facile illi fuit, cum adhuc viator esset, omnia illa poscere, plenam ac cumulatam redemptionem exhibere, nihil remittens, quod nobis obtineret post mortem. Ita ergo fecit, ac proinde nihil est quod denuò roget.

Eligitur affirmans, & probatur auctoritate, ac ratione.

1027 Contraria sententia, quæ Christum in cælo orare pro nobis, affirmat; est multorum grauium Doctorum, mihi quæ probatur. Tradunt eam S. Thomas 2. 2. q. 83. art. 11. & in cap. 7. ad Hebr. l. c. 4. Soro in cap. 8. ad Rom. Ribera Heb. 7. à num. 78. Toletus in cap. 16. Io. annot. 35. (citans ad idem Nazianzenum, Augustinum, Hilariū Diaconum, Cyrillum, Alexandrinum;) Maldonatus ad idem cap. num. 74. citans Augustinum, Rupertum, Theodoretum, Leontium, atque Cyrillum. Diligenter planè id ipsum confirmat Hesselius, & citat complures Patres lib. pro inuocatione sanctorum cap. 15. Idem tradunt Cornelius in cap. 8. ad Rom. num. 216. Bonac. de horis Canonicis disp. 1. q. 2. p. 1. & Tract. de Incarn. disp. 1. q. 15. p. 2. Scottia 2. de Missa cap. 3. num. 2. Suarez 3. p. tomo 1. d. 45. f. 1. & lib. 1. de Orat. cap. 10. num. 15. Bartholomæus à S. Fausto lib. 1. de Horis Canonicis qui est de orat. in communi q. 38. (sibi tamen statim contrarius,) Ragusa Tomo 2. disp. 18. Valent. Tomo 4. disp. 1. q. 21. p. 1. Præpositus 3. p. q. 21. nu. 10. qui alios præterea & PP. & D.D. profert; quibus addo Goffridum Vindocinensem ferm. 1. sic scribentem. [Redemptorem nostrum sequamur ad gaudia æternæ felicitatis, quod nos ipse in carne nostra præcessit, & vocat sedens ad dexteram Patris. Ipsum etiam pro nobis apud Patrem intercedere, toto corde credamus; quia nisi eius sanctissima intercessione & virtute maniamur, Diabolo non valeamus resistere, qui vires suas mutauit quidem, non amisit delectus. Verè orat pro nobis Dominus, in carne quam assumpsit pro nobis. Nec mirandum, si Patri suo preces propitiationis pro salute hominis exhibet, qui homo fieri voluit, ne homo periret. Nec dedignatur pius Dominus in cælo assumptus, hominem iuuare in terris, quem & à peccato mundare vult, & secum regnare in cælis; & illum tanto amore complectitur, ut si eum adhuc pro illo mori iustitia iura exigent, pietatis sibi viscera non deessent.] Grethlerus quoque Tomo 3. de Cruce lib. 4. *ferè initio*, monet huius sententiæ fuisse Græcos; apud quos interdum legitur. *Sancta crux, ora, vel intercede pro nobis*. Est enim locutio figurata, quia Christus ipse olim crucifixus, nunc in cælo regnans, interpellator noster fieri rogatur. Itaque hæc sententia quidquid Rupertus dixerit, non destituitur auctoritate.

1028 Nec deest Scriptura, & ratio. Nam Ioan. 14. Christus consolans discipulos de eius discessu mærentes, promittit, se cum ad Patrem venisset, rogaturum pro eis, ut acciperent alium Paraclitum. Is enim est planus sensus illorum Christi verborum, quibus spondet se Patrem rogaturum,

rogaturum, vt ex ferie capitis liquet. Nec est cur verbum *rogandi*, ad sensum improprium deflectatur, cum nulla sit absurditas in reinendo sensu proprio. Actus enim orandi, decet Christum etiam in statu alterius vitæ, cum sit actus religionis, & beatis quoque conueniat. Quod si obtenditur data Christo potestas omnis in cælo & in terra, nã ea ratio nimium probat, Ex ea quippe sequeretur, Christum viatorem non orasse verè pro nobis. Nam ex tunc quoque acceperat omnem potestatem in cælo & in terra: quia titulo vnionis hypostatice, potiebatur omnibus illis prægogatis, quibus dici potest postea positus, titulo meritorum, & passionis pro nobis exceptæ. Et tamen non obstante ea plenissima potestate, qua Christus de omnibus ad salutem nostram attentibus disponere hinc poterat, tamen Patrem rogauit, vt Deum ea ratione coleret, suamque (provt hominis) ad eum demissionem & subiectionem testaretur. [Et licet ipse vita sit, (inquit S. Epiphanius hæc. 69. num. 29.) vt testatur, *Ego sum vita*; eamque conficere per se se possit, iuris tamen ac iustitiæ legem perturbare noluit, sed idcirco venit vt ad vnum principium, vnamque diuinitatem, veritatem concordiam, vniusque gloriæ prædicationem, hominum salutem, mentemque traduceret. Ob id coram discipulis Patri supplicare voluit, Nam quis demum Filius à Patre non postularat quis Pater, non filio largitur? quis porro filius à Patris natura diuersus est? Propterea vnicus Dei filius à Patre genitus plenus gratiæ & veritatis, nullum complementum requiebat, cum nihil ipse de veritate deesset, sed plenus gratiæ ac veritatis foret. Sed esse plenus sit atque, & largiatur ipse, & largiri possit; nihilominus in Patrem refundere omnia voluit. Nam Filius glorificat Patrem.] Idem ergo sine dubio, eadem, ex causa præstare in cælo poterit; & reuera præstat, iuxta Scripturas propositas.

Accommodare huc possumus, egegiam S. Ambrosij sententiam lib. 5. in Lucam ad illud capitis 6. *Erat pernoctans in oratione Dei.* Quærens enim, de Christi qui omnia poterat, oratione, subdit, [Orat ergo Dominus, non vt per se obsecrat, sed vt pro me impetret. Nam et si omnia posuerit Pater in potestate filij, filius tamen vt hominis formam impleat, obsecrandum Patrem putat esse pro nobis, quia aduocatus est noster. Noli insidiatrices aperire aures, vt putēs filium quasi infirmum rogare, vt impetret quod implere non possit. Potestatis autor, obedientiæ magister, ad præcepta virtutis, suo nos informat exemplo. *Aduocatum*, (inquit,) *habemus apud Patrem.* Si aduocatus est, debet utique pro meis interuenire peccatis. Non ergo quasi infirmus, sed quasi pius obsecrat. Vis scire quia quæ velit possit? Et aduocatus, & iudex est. In altero pietatis officium, in altero insigne est potestatis.] Quidni etiam sic accipimus, illud Victoris Cartmenensis lib. de Penit. cap. 24. ad penitentem. *Flecte genua, & eliso vultu terre prostrato: Suscipiet gemitum tuum cælestis ille protinus aduocatus, & non prætermittet pro te interpellare patrem suum, qui fidum præbere consuevit penitentibus patrocinium. Causam suam non argumentis ad præscriptum genus eloquentiæ perorabit, illic impetraturus veniæ beneficium, qui de superato non expe-*

ctat aliquod honorarium. Hoc Apostolus probat, dicens: *Quis accusabit aduersus electos Dei Deus qui iustificat: quis est qui condemnet? Christus qui mortuus est, verum etiam & surrexit, qui est in dextera Dei qui interpellat pro nobis.* Addit etiam, locum toties adductum ex 1. Ioan. 2. de Christo aduocato apud Patrem. Postremo ratio quæ S. Bernardus (serm. in vigilia SS. Petri & Pauli, conficit sanctos in cælis orare pro nobis, militare pro Christo, & ad eum multo aptari facilius potest. [Qui potens in terra, potentior est in cælis ante faciem Domini Dei sui. Si enim dum hic viveret, miserus est peccatoribus, & orauit pro eis, nunc tanto amplius, quanto veriùs agnoscit miserias nostras, orat pro nobis Patrem, quia beata illa patria, charitatem eius non immutauit, sed augmentauit. Neque enim quia impassibilis omnino, ideo & impassibilis factus est, sed nunc potius induit sibi viscera misericordiæ, cum ante fontem misericordiæ existit.]

Euersa, partis negantis firmamenta.

1029 Quæ in contrarium opponebantur, facile diluuntur. Ex tot enim Patribus quos pro se adducit contraria sententia, vix est præter Rupertum, (cuius autoritas in re dogmatica, non est tanti;) vix inquam est qui sententiæ contrariæ aperte attipuleur. Non enim si proponunt aduocationem Christi veluti obiectiuam, quæ sita est in eo, quod Christus pro nobis factus homo, semper Patri obuersetur; excludunt propterea formalem, quæ pro nobis anteriora sua merita representans, interpellat, vt quæ ad salutem nostram faciunt, accipiamus, donec cognominatur hodie, & supersunt qui hereditatem capiant salutis. Nam post mundi clausulam, sicut nulla cuiusquam erit necessitas & indigentia, ita cessabit hæc Christi aduocatio, & interpellatio pro nobis. Aduersarij autem, ex eo quod Patres aliqui meminerint intercessionis obiectiuæ, exclusam volunt formalem argumentatione aperte inani.

Alij verò Patres, tantum excludunt orationem, qualem hic Christus fundebat: nempe coniunctam cum lachrymis, & clamore valido; quæ tamen repudianda omnino est; etiam si illam videri possit inuexisse Origenes hom. 7. in Leuit. tractans vetitum principi Sacerdotum vini vsum, in accessu ad altare. [Saluator meus, (inquit,) iugiter etiam nunc peccata mea. Saluator meus lætari non potest, donec ego in iniquitate permaneo. Quare non potest? quia ipse est aduocatus pro peccatis nostris apud Patrem, sicut Ioannes Symnista eius pronuntiant dicens; *Quia & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum, & ipse est repropitiatio pro peccatis nostris.* Quomodo ergo potest ille, qui aduocatus est pro peccatis meis, bibere vnum lætitiæ, quem ego peccando contristo? Quomodo potest iste, qui accedit ad altare vt repropiciet me peccatorem, esse in lætitiâ, ad quem peccatorum meorum meior semper ascendit? *Vobiscum*, (inquit,) *illud bibam in regno patris mei.* Quamdiu nos non ita agimus, vt ascendamus ad regnum, non potest illud vinum bibere solus, quod nobiscum se bibere promissit. Est ergo tandiu in merore, quamdiu nos persistimus in errore. Si enim Aposto-

lus ipsius, luget quosdam qui ante peccauerunt & non egerunt poenitentiam in his quæ gesserunt, quid dicam de ipso, qui filius dicitur charitatis? qui semetipsum exinanivit propter charitatem quam habebat erga nos, & non quaesivit quæ sua sunt cum esset aequalis Deo, sed quaesivit, quæ nostra sunt, & propter hoc euacuauit se? Cum ergo ista quæ nostra sunt quaesierit, nunc iam nos non quaerit, nec quæ nostra sunt cogitat, nec de erroribus nostris meretur, nec perditiones nostras & contritiones desinet, qui fleuit super Hierusalem, & dixit ad eam; *Quoties volui congregare filios tuos sicut gallina congregat pullos suos, & non uolui.* Qui ergo vulnera nostra suscepit, & propter nos doluit tanquam animarum nostrarum, & corporum medicus, modò vulnerum nostrorum putredines negligit? *Comperuerunt enim, (ut ait Propheta,) & corrupta sunt cicatrices nostræ, à facie insipientia nostra.* Pro his ergo omnibus, adfuit nunc vultui Dei, interpellans pro nobis; adfuit altari, ut reprobationem pro nobis offerat Deo: & idè dicebat tanquam accessurus ad istud altare, quia iam non bibam de generatione vitis huius, donec bibam illud uobiscum nouum. Expectat ergo ut conuertamur, & ipsius imitemur exemplum, ut sequamur vestigia eius, & lætetur nobiscum, & bibat vinum nobiscum in regno Patris sui. Nunc enim quia misericors est, & miserator Dominus, maiore affectu ipse quàm Apostolus suus flet cum flentibus, cupit gaudere cum gaudentibus. Et multo magis luget ipse eos qui ante peccauerunt & non egerunt poenitentiam. Neque enim putandum est, quod Paulus quidem lugeat pro peccatoribus, & flet pro delinquentibus, Dominus autem meus Iesus, abstineat à fletu cum accedit ad Patrem, cum adfuit altari, & propitiationem pro nobis offert, & hoc est, accedentem ad altare non bibere vinum lætitiæ, quia adhuc peccatorum nostrorum amaritudines patitur. Non vult ergo solus in regno Dei bibere vinum, nos expectat. Sic cum dixit; *Donec bibam illud uobiscum.* Nos sumus igitur, qui vitam nostram negligentes, lætitiā illius demotamur. Hæc ut sonant, repudianda sunt, quippe cum Christi planè comprehensoris statum pugnantia. Nec tamen notandus ea ex causa est Origenes, qui longè alio sensu loquitur, quàm præ se ferat cortex vocum. Christum enim accipit, prout facit vnum quid cum membris suis; quæ ratione, non modò nobiscum trahitur dicitur, sed etiam Patri non subici, iuxta Apostolum. Verè tamen huiusmodi orationem lachrymis persalam, negare Christo intendunt Patrum nonnulli, cum eum in cælo rogare negant.

Alij verò plerique, præsertim Nazianzenus, cum Ariianis disputantes, eam dumtaxat Christi inter orandum abiectionem remouent, quæ vel in personam eius refunderetur, & diuinitatem Verbi attingeret, vel hominem qui simul Deus sit, verè dedecet. Quam abiectionem, nos quoque remouendam non dubitamus; sed eam tamen saluam volumus, quæ ex casto timore Dei in sæculum sæculi permanente proficiscitur, & humanitati Christi, etiamsi ad cælos iam euectæ, omnino congruit. Perpatum ergo in primariis Patribus præsidij habet contraria sententia. Quosdam verò, quibus Patrum contrariæ sententiæ astipulantium, syllabus am-

plificatur, parui planè facio in hoc negotio; ut Cabasilam Schismaticum, imò hæreticum. Nec suis item natus caret Simeon ille Thessalonicensis, quod apud Posselinum lib. 6. Bibl. videre est, ut proinde non debeat videri eius autoritas inrefragabilis.

Ratio præcipua contrariæ sententiæ, sufficienter elisa est inter confirmandum nostram. Vidimus enim, quamuis Christus potestate ordinaria qua pollet, posset non rogato patre, omnia quæ nobis conducunt elargiri; tamen non abs te, velle interponere, (saltem aliquando,) orationem: ut diuinæ Maiestati remissionem suam testetur, quod in via item fecit, quamvis æquè polleret ordinaria illa potestate, saltem aliis titulis, de quibus suo loco. Quamvis autem Christus viator, omnia quandoque petenda, prænouerit, ac fortassis etiam postulauerit, tam in primo conceptionis suæ momento, quàm cum se Patri obtulit mox crucifigendus, vel cum iam cruci suffixus, sacra víctima, Patri à seipso oblatus est: Tamen admittendam quoque censemus eiusdem petitionis renouationem, scilicet ab aliorum obsecrorum in orationes illas Christi viatoris adunatorum petitione, prout occasio & nostra exigentia tulcrit.

Cur non apprecemur nobis, Christi orationes, & quatenus id possit licere.

1030 Non fect tamen vltus Ecclesiæ, ut oratio ad Christum dirigatur, postulando ut oret pro nobis. Loquentes enim cum Christo, attendimus dignitatem eius personalem; idè quæ ad eum adimus non tanquam ad intercessionem, sed tanquam ad Deum autorem bonorum omnium. Sicut cum quis Regem adit, non compellat eum adhibito titulo aliquo inferiori, tametsi teneri in eum cadat, v.g. ducis Normanniæ, vel Comitissæ Picardiæ; sed vsuipato solo magnificentiore, nempe Regis; Et apud Abucaram Opusc. 1. 4. initio, rogatus à Nestotino. Orthodoxus, cur B. Mariam, Deiparam potius quàm Christiparam nominaret, cum verè sit Christipara, respondet; quia à meliore parte, non autem à minore, appellationes sunt; ab iis præsertim qui laudant, & honorare volunt. Quo recidit quod habet Faustinus apud Gelium l. 16. cap. 3. frigidam laudem, (cuiusmodi est, quæ à minore titulo petitur,) vituperationi æquialere. Hæc igitur vna est causa, cur non soleamus Christum precari, ut pro nobis oret: præter aliam quæ ex eo ducenda est, quod ea precandi ratio, posset infirmis ac rudibus suspensionem facere, Christum cogitari ut putum hominem.

Non esset tamen intrinsecè malum, Christi pro nobis orationes exposcere, non diuidendo personas, sed naturas tantum; nec dirigendo orationem & humanitatem, conceptam abique Verbo: (quia quamuis ut sic possit adorari, quod est merè passiuè se habere, & obiecti conceptui etiam coniunctissima secerne apto; non potest tamen peti, ut oret; quod præstat prout reipsa est, nec pendet à modo quo eam nobis obicimus;) sed dirigendo orationem ad Christum hominem, spectando præcisè rationem subsistendi in humanitate, Et est quidem humanitas, immediata ratio agendi, haurit tamen dignitatem suorum operum à Verbo coniuncto eamque

eamque terminante, nec reipsa quicquam præstat, aut agit absque eo. Vnde sicut humanitas concepta seorsum à Verbo, non est mediatrix nostra, vt garrunt Hæretici, sed tantum Christus est noster mediator per humanitatem; sumptam provt in reipsa se habet, atque aded vt Verbo coniunctam; ita humanitas vt seorsum sumpta, non orat, neque satisfacit, aut meretur: quæ sunt mediatoris functiones. Quate non est (vt sic) oranda vt pro nobis oret etiam si (vt dixi,) labe vacabit ea Christi precum postulatio, directa ad Christi humanitatem in Verbo subsistentem; siue ad Christum provt hominem. Quod rectè tradit Caietanus 3. p. q. 25. art. 2. Hesselius lib. pro inuocatione sanctorum cap. 5. Corduba lib. 1. q. 5. dub. 3. puncto 4. & Spales t. 1. 3. p. d. 53. sect. 3. ad secundam quandam obiectionem, & l. 1. de orat. c. 10. n. 18.

Christus, nunc in Eucharistia, Aduccatus noster.

1031 Non modò igitur in hac vita, fuit Christus aduocatus noster, sed in eodem munere nunc quoque perstat, interpellans pro nobis, vt Apostolus verè dixit, Rom. 8. Nec in cælo tantum, vbi visibiliter conspicuus ad dexteram Patris sedet, sed etiam in terris, sub velamine specierum in Missæ sacrificio, munere Aduccati & interpellantis pro nobis fungitur Christus. [Fidelis Aduccatus ait. Gul. Paris. lib. de Euchar. cap. 2. initio,] necessè habet interesse causæ quam coram agendam suscepit, si possit, quoties causa agitur ipsa vel præsentiam eius desiderat. Causa autem totius Ecclesiæ in Missa agitur scilicet coram Deo Patre, tanquam per procuratorem Sacerdotem. Necessè ergo habet interesse, & causam agere huius Aduccatus. Non autem est Aduccatus, nec causam agit, nisi in quantum homo est. Necessè ergo habet ibi esse, & assistere procuratori Sacerdoti. [Et inferius. [Cum iuges, imò continuæ offensiones, quarum nec numerus est nec mensura, iugem & continuam interpellationem requirant, seu Dei propitiationem; continuæ accusationes, iugem ac continuam defensionem, seu Aduccatum, euidentem est necessitas Sacerdotis semper viuientis & interpellantis pro nobis; Heb. 7. similiter & Aduccati qui etiam propitiatio est, sicut legitur 1. Ioan. 1. Continuas autem ided diximus offensiones, quia nec hora, nec momentum reperiri potest, in quo non inueniatur offensio aliqua, vel peccatum alicuius ex tanto populo. Accusationes etiam diximus iuges & continuas, propter malignitatem Diaboli, de qua scriptum est Apocal. 12. quia proiectus est accusator fratrum nostrorum qui accusabat eos die ac nocte, ante conspectum Domini.] Tandem inferius. [Tot ergo, & tam arduæ causæ, imò tam miserabiles & desperatæ, proprium meritò requirunt Aduccatum, qui patrocinium earum propriè incumberet ex officio. Si enim princeps Reipublicæ mundanæ pro supplendo defectu imperiorum, ne ius eorum temporale deperiret, publicos aduocatos constituit in succusum imperitè litigantium, quanto fortius princeps vniuersitatis Deus, vniuersorum & singulorum insufficientiæ consulens, & periculis æternæ damnationis occurrens, publicum Aduccatum toti generi humano constituit, qui causis vniuerso-

Theoph. Raynandi de Attrib. Christi.

rum & singulorum agendis, & etiam releandis sufficeret? qui in consistorio eius, & ante tribunal ipsius, pro omnibus pro quibus iustitia permittet, staret. Alioqui curiæ eius & consistorio, non parum perfectionis decisset, si miseris & imperitis, sibi que non sufficientibus, sufficiens Aduccati decisset patrocinium: Nullatenus enim in vltimæ perfectionis & sufficientiæ curia, decesse decet, qualem requirunt excellentem Aduccatum, hoc est, qui meritò sit omnium refugium miserorum.] Sicut ergo Eucharistia, est viua commemoratio Christi in cruce pro nobis mortui, & Missæ sacrificium in cruenta expressio sacrificij crucis, ita agit hie Christus Aduccatum pro nobis quemadmodum in cruce fecit.

Vsus doctrina, de Christo Aduccato nostro.

1032 Hæc quanta sit omnibus viatoribus, præsertim verò miseris peccatoribus, confidentiæ sanctæ sementis, iuxta Apostolum, ponderauit egregiè S. Chrysostomus hom. 15. in ad Rom. confirmatque perpulchrè, verbis illis Origenes hom. 8. in numer. in ipso fine. [Nostrum est, ad emendationem citius festinare, ad poenitentiam sine dissimulatione conuerti, lugere præterita, cauere futura, inuocare auxilium Dei: statim enim vt conuersus ingemueris, saluus eris. Inuenies enim aduocatum, qui pro te interpellat Patrem, Dominum Iesum Christum, multo præstantiorem, quàm fuit Moyses, qui tamen orauit pro populo illo; & exauditus est. Et fortasse præterea Moyses scribitur interuenisse pro peccatis populi prioris, & impetrasse veniam, vt multo magis nos confidamus, quod aduocatus noster Iesus, indubitata nobis veniam impetrabit à Patre, si tamen conuertamur ad eum, & non recedat retrò cor nostrum. Sicut & Ioannes in Epistola sua dicit. Hæc autem dico filioli, vt non peccetis. Quod & si peccauerit aliquis vestrum, habemus aduocatum apud Patrem, Iesum Christum, qui interpellat pro peccatis nostris.] Suauissimè Arnoldus Abbas Bonæ Vallis, in ipso fine laudationis B. Mariæ. [Datum est filio à Patre omne iudicium, & eius est temperare & dispensare seueritatis districtæ decretum, qui non facit eos, quorum aduocatus existit, condemnari; cumque idem sit aduocatus & iudex, nequaquam crudeliter iudicat, qui semper misericorditer interpellat. Metues quippe mortis eius, salus est hominum. Nec illud sibi perire facile patitur, pro quo & sanguinis pretium magnum datum est, & tantum reconciliationis humanæ studium fuit, vt sua dispendia non attenderet, dum erroneum lucraretur.] Præclare item Guericus serm. 2. in Ramis palm. in fine; [Quanta clementia Pater suscipiet, quem Filius commendabit? Filius namque qui causam animæ tuæ semel in cruce suscepit agendam, nunquam eam agere desinit, apud Patrem semper interpellans. Vade securus, vade gratulabundus, vbi iudex tuus, est aduocatus tuus.] Et serm. 1. de Ascens. [O felices, quorum aduocatus ipse, iudex est: pro quibus orat, qui pari honore cum eo quem adorant, adorandus est. Voluntate laborum eius, non fraudauit eum Pater, cum quo est ei vna voluntas & vna potestas, quia vnus Deus est. Omnino quod

Z Z z

Christus

Christus orat, impleri necesse est: cuius sermo virtus est, & voluntas effectus qui de omnibus quæ sunt, *Dixit & facta sunt, mandauit & creata sunt. Volo, (inquit) ut ubi ego sum, & ipsi sint mecum.* O quanta securitas fidelium, quanta fiducia credentium; tantum non abiciant gratiam quam acceperunt. Non enim solis Apostolis proposita est hæc securitas, vel condiscipulis eorum, sed omnibus qui per eorum verbum, credituri sunt in Dei Verbum.]

1032 Quantum præterea in nobis pietatis & gratitudinis sensum, excitare debeat hæc Christi pro nobis aduocatio, diuine omnino expressit Cassiodorus l. de amicitia cap. de Sabatho animæ, his verbis. [Cum ille Angelus transfuga, & emanans, deinde detestabilem peteret ancillatum, Christus litem contra te positam, suam fecit, & post diuersas productiones testium legis, oraculorum, Prophetarum, signorum, proverbiorum, sanguinem allegauit. Obtinuit allegatio illa, tuæ sententiam libertatis. Super calculo scriptæ sunt litteræ, in membrana corporis crucifixi: & confirmata osculo misericordie & veritatis, iustitiæ & pacis occurrentium sibi. Denique impressum est sigillum, plaga scilicet lateris, quam in pretium redemptionis nostræ, & expiationem nostram continuam, iugiter exhibet ante oculos. Adhuc extat titulus causæ, inscriptus in tantæ charitatis memoriam. Scias quodd si te ingratum reperit, nec velle tanto vti beneficio, exiget à te districtissime mortem suam: verèorque ne quandoque indignantissime tibi dicat, *Tolle manum tuam, & mitte in latrum meum dextrum: mitte digitos in fixuram clauorum, & vide quanta pro te passus sum.* O ingrata, crudelis, impia, non putas Deum de collatis tibi beneficiis penitere, si ea viderit per ingratitude perisse? Saxeus sit quem tantus in nobis aduocationis Christi visus ac fructus, non molliat.

Erīt autem eo certior fructus aduocationis Christi pro nobis, quo quisque vt S. Paulinus ad Aprum quondam Causidicum Epistola 29. aiebat, instructior iure diuino aduocatus, pro se postulat; nec ita externum quæret patrocinium, vt sibi metipse suum denegēt, quod bonis operibus, & meliorum emulatione, præstare ex Dei benignitate potest. Quod spectat quod S. Anselmus in similitud. cap. 74. placitum (*le plaidoyé*) Diaboli contra hominem, & hominis responsa, scite exponit. Neque verò cui hæc aduocatio fructuosa per tempus vitæ non fuerit, expectare debet ab ea commodum aliquod in iudicio extremo, vbi causa iteratò excutietur coram iudice incorruptibili, & veteratore, ac quadruplato nequissimo, nos virgēte: quod S. Augustinus orat, contra Iudeos Artia. & Paga. c. 3. & 4. monstrat pereleganter vt referam sequenti capite.

Nunc claudamus verbis eiusdem in psalm. 66. ad illud, *quoniam iudicas populos in aequitate*, vbi sic habet. [Nemo te fallat. Gaudeat iudicandus, qui timuit iudicaturum. Præuidit enim, & præuenit faciem eius in confessione, ille autem cum venerit, populos in aequitate iudicabit. Quid ibi valebit calliditas accusatoris, vbi est testis conscientia? vbi tu eris & causa tua? vbi iudex non querit testem? Aduocatum misit tibi, propter illum, & per illum consistere. Age causam tuam, & defensor est penitentis, & pe-

titot veniæ, confitentis, & iudex innocentis. Verè timere poteris causam tuam, vbi Aduocatus tuus, erit iudex tuus? Letentur ergo & exultent gentes, quoniam iudicas populos in aequitate. Sed timere poterunt nē male iudicentur, dent se corrigendos, dent se dirigendos, ei qui videt iudicandos. Hic corrigantur, & non timeant cum iudicabuntur.] En Christum defensorem suæ Aduocationis, simul & iudicem eius qui se in hac vita dignum præstat tali Aduocatione & defensione. S. Gregorius in calce homilie 7. in Ezech. præclare idem docet his præter cetera. [In assiduis fletibus, in quotidiana nostra penitentia habemus Sacerdotem in cælis qui interpellat pro nobis, de quo etiam per Iohannem dicitur, *Si quis peccauerit, Aduocatum habebimus apud Patrem, Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatus pro peccatis nostris.* Ecce exultat animus, cum Aduocati nostri potentiam adiuvimus. Sed exultationem nostram iterum temet mordet timor, quia ipse qui nobis Aduocatus est, dicitur *iustus*. Nos enim causas iniustas nullo modo suscipit, nec verba ducit pro iniustitia defendit. Quid ergo agimus charissimi frautes mei? Sed ecce occurrit animo quid agamus. Mala quæ fecimus, & delicta, & accusamus. Scriptum est, *iustus in principio accusator est sui.* Quilibet enim peccator conuersus in fletibus, iam iustus esse inchoat, cum ceperit accusare quod fecit. Cur enim iustus non sit, qui contra suam iniustitiam, iam per lachrymas læuit? Iustus igitur Aduocatus noster, iustos nos defendet in iudicio, quia nosmetipsos & cognoscimus & accusamus iniustos. Non ergo in fletibus, non in actibus nostris, sed in Aduocati nostri allegatione confidamus. Qui viuūt & regnat cum Patre, in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.]



CAPVT IX.

Christus Fideiusfor.

1034 **C**HRIſTVM quem Apostolus Heb. 7. *sponsorem meliorem nostri Testamenti* appellat, fideiussores nostrum Theodoretus, alique complures accipiunt; & ita intelligunt, vt quoniam nouum Testamentum pollicetur tegnum cælorum, & mortuorum resurrectionem, ac vitam æternam, quorum nihil adhuc visum erat, ideo Christum sponsorem melioris Testamenti dicatur quia per suam quidem resurrectionem, spem resurrectionis nostræ confirmavit, ceterorumque bonorum obtinendorum, se veluti vadem nobis ac prædem statuit. Verè hoc quidem dici, non eo inficias. Sed ad Apostoli mentem, non minus appositè dixerit quis, cum Occumenio, & aliis fideiussores, eo loco dici Christum; quia est mediator; id est quia pro nobis satisfact, & debita quibus obstringebamur, exoluit; quod est fideiussores proprium. Exollit enim eo loco Apostolus, noui Testamenti supra antiquum præcellentiam, quæ in gratiæ præsertim colla-